

diluvio fecit quoque Deus, *Gen.*, vii, Noe locutus: *Post dies septem ego pluviam super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam, quam feci.* Poterat quidem Deus unico momento universum orbem submergere, noluit tamen; sed concedit quadraginta dierum spatium, ut homines perterrefacti respicientes pœnas debitas evadant; ita hic longo tempore penam quam imminentem ignorat civitas, prædicit pro qua debeat flere et penitentiam agere; quam dum dura cervice contemnit, repentinus supervenit interitus: *Eo quo non cognoverit tempus visitationis suæ.* Super quo excidio sic commentatur Cæsius, *Hom.* xii: « Quam multi se credebant longo tempore victuros, et ita illos mors repentina subtraxit, ut nec ad illam momentaneam penitentiam pervenire possint. » Similibus enim mors die et hora qua minime expectatur supervenit, et ita manifesto perditionis suæ periculo se exponunt. Quid vero stultius agere potuit populus hic et hujus urbis incolæ, quam ita dudum præmoniti, nihilominus curam salutis suæ in finem differre? « Stultissimum est, » ait S. Augustinus, « ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilibus vitæ deficientis committatur extremis. » Et ideo juste talis contumaciis evenit perditio, ut ne lapis super lapidem in electa illa civitate relictus fuit, quia sic imponentes manserunt; quos merito Deus abominatur.

c. — Venerabilis Beda, per hosce inimicos, qui circumdabant Jerusalem vallo, spiritus intelligit infernales, qui bellum gerunt adversus mysticam animæ nostræ Jerosolymam: « Qui unquam sunt humane animæ majores inimici, quam maligni spiritus? Qui hæc a corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam deceptoris delationibus fovent, quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus quas perpetravit, hæc ad societatem suæ damnationis trahentes coercent. » In quoniam vero spiritualis hæc obsidio consistat, qua anima, ut in inimici redigatur potestatem, circumdata esse conspicitur, sequentibus verbis declarat, dicens: « Maligni spiritus animam coangustant undique, quando ei non solum operis, verum etiam locutionis et insuper cogitationis iniquitates replent, ut qua prius se per multa dilatavit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. »

VERSUS 44.

Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

Et ad terram prosternent te.

1. — S. Bonaventura hæc verba in sensu mystico de peccatore exponit: « Hoc, » inquit, « spiritaliter contingit, contra quemlibet peccatorem, » manentem in prosperitate temporaliter, qui primo circumdatur in infirmitate, coangustatur in infirmitatis aggravatione, ad terram prosternitur in morte et prorsus evertitur in incineratione. » Idem quoque Seraphicus Doctor, *Serm.* in *hæc Dom.*, ita scribit: « Coangustabitur anima corporis in infirmitate, Judicis severitate, dæmonis crudelitate, prosternetur corporaliter in sepulchro, spiritaliter in inferno. »

2. — Venerabilis Beda ait: « Tunc anima per cognitionem reatus sui ad terram prosternitur, » cum caro, quam vitam suam credidit, redire ad pulverem urgetur. Tunc in morte filii illius cadunt, cum cogitationes illicitæ, quæ modo ex illa prodeunt, in extrema vitæ ultione dissipantur, sicut scriptum est: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* »

Et non relinquent in te lapidem super lapidem.

3. — Id est, inquit Lucas Brugenis, « lapidem lapidi coherentem funditus destruent. » Et merito in lapidibus quoque puniuntur, cum enim antea lapides et terra sustulissent manibus, ut illos in Christum jacerent; ecce nunc proportionatum crimini supplicium illis immisum: *Non relinquent in te lapidem super lapidem.*

4. — Glossa ait: « Cum Jerusalem modo sit constructa extra portam, ubi Dominus crucifixus erat, apparet illam ex toto destructam fuisse. » Dionysius Carthusianus inquit: « Hoc est, funditus te subvertent, » illudque per exaggerationem dictum esse existimat, subjungit nihilominus, quod, post hæc desolationem, cum nonnulli Hebræi, qui ad se salvandos in speluncas se receperant, redeuntes, domus nonnullas et ædificia denuo erigere cœpissent, Romani Eilium Adrianum, qui postea Imperator factus est Romanorum, istuc miserint, a quo civitas Jerusalem fuit tunc omnino subversa, ita ut non remaneret lapis super lapidem. »

5. — Origenes, qui per inimicos, Jerosolymam obsidentes et destruentes, spiritus intelligit infernales, animam nostram, quamdiu in peccato mortali vivit, aëta obsidione circumvallat, subjungit: « Circumdant eam inimici, id est, spiritus nequam et immittant in circuitum ejus vallum, ut obsi-

deant eam et lapidem super lapidem non relinquant, maxime si post multam continentiam, is post aliquot annos castitatis, victus quis fuerit et blandimentis carnis illectus, patientiam pudicitiamque amiserit, si fuerit fornicatus, lapidem super lapidem non relinquant in eo, secundum illud: *Non recordabor primarum justiciarum ejus.* »

6. — Lyranus in sensu morali ita scribit: « Secundum sensum moralem ista civitas est anima peccatrix, quæ vallatur in morte et angustiat a spiritibus malignis et ejus filii prosternuntur, id est, cogitationes ejus quibus promittebat sibi longam vitam, honores, divitias et hujusmodi, frustratur. » Quæ doctrina optime concordat cum verbis illis Glossæ: « Perversum cum perversionem adjicit, quasi lapidem super lapidem struit, sed cum anima ad ultionem rapitur, talis cogitationum constructio dissipatur et hoc ideo, quia non cogitat tempus visitationis suæ. »

Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

7. — « Id est, » ut Dionysius Carthusianus inquit, « Christi adventum, accessum et conversacionem nem ejus in te. » Pro cujus expositionis confirmatione textum illum Cantici Zachariæ, *Luc.*, i, 68, adducit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.* Atque hinc est, inquit idem Carthusianus, quod Deus per Isaiam, i, 3, lamentatur: *Cognovit vos possessorem suum et ostium præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, populus meus non intellexit.*

8. — Cajelanus ait: « His verbis causa pœnæ significatur culpa cæcitatatis, qua non cognovit tempus, hoc est, quo Jesus illam visitavit personaliter cum tot evidentibus et claris testimoniis, quod ipse esset Messias. » Lucas Brugenis dicit: « *Visitationis tuæ, quo in visceribus misericordiæ Dei ex alto te visitavit oriens.* » Titus Bostrensis similiter per hæc visitationem Christi incarnationem intelligit: « Tempus visitationis, » inquit, illud vocal, quo ipso e celo delapsus eum visitavit, multaque inter visitandum divina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in eo patravit. »

9. — Deus noster apud Isaiam Prophetam, *Isa.*, xlix, 15, huic lantopere a se dilectæ civitati protestatur, dicens: *Namquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non miseretur filio uteri sui? Et si illa oblitæ fuerit, ego lamen non obliviscar tui; ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Profecto amarus ille planctus et lacrymæ, quas desolationem civitatis illius prævidens, effudit, clarum satis et evidens indicium erant, quod invit admodum ejus ruinam videbat; præterea divinæ justitiæ flagellum, non tantum una septimana, nec uno mense aut uno duntaxat anno, sed quadraginta annis suspendit, imo mediante S. Jacobo

Minore Apostolo, civitatis illius Episcopo, qui quod ei similissimus esset, frater illius cognominatus fuit, quotidie hunc populum per plurimum annorum decursum ad veræ fidei agnitionem et vitæ respicientiam inducere conatus fuit; in aere lem visum sunt portenta, per aëreas illas regiones discurrantia, nimirum juxta muros visæ sunt applicari machinæ currules militares, integricque conspici sunt in aere discurrerent armatorum diversorum exercitus; prius quoque igneus belli furor in Galilæa, cunctisque aliis circumvicinis provinciis, cum totali earum exterminio accensus fuit; ac tandem immensa Dei misericordia ordinatum fuit, quod Romani illis pœna obtulerint mutæ pacis et concordie, at vero ut Deus per eundem Prophetam, *xliv*, 4, juste lamentatur, dicens: *In vanum laboravi, sine causa ad vane fortitudinem meam consumpsi, qui intellexit sui oculos aperire semper detracturum, nec cum Filium Dei et Messiam ipsorum cognoscere aut profiteri voluerunt, ac proinde hæc noticia et agnitione destituti et privati in prædam facti sunt mortis corporalis, ac demum etiam æternæ; equidem Catholica veritas est, quod S. Joannes, xvi, 3, clariis verbis assertit, dicens: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Et quidem quanto ejus pietas illos expectando longanior fuit, tanto deinceps justitia ejus in illis castigandis fuit rigidior.*

10. — Porro visitatio hæc nihil aliud fuit, quam populi illius per fidem et agnitionis Divinitatis ejus facta illuminatio: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ; visitavit nos oriens ex alto; illuminare eis qui in tenebris et in umbra mortis sedent;* sed quia obstinati et contumaces oculos suos huic lumini clausurunt, ideo ex hujuscæ agnitionis defectu, in profundissimum præcipitatum barathrum impietatis, cui simile in terra nunquam visum fuit, nimirum in veri Dei infamem crucifixionem; siquidem ut S. Paulus, *I Cor.*, ii, 8, testatur: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* et hæc præcipua causa est, ob quam innumerabiles anime perduntur, quia scilicet lumini, quod Deus illis inspiravit, minime operibus et conversatione correspondent. Unde bene Carthusianus monet, dicens: « Videamus, ne et nos tempus visitationis nostræ parvipendamus, oblitæ visamur et ingrati reddamur. Huic visitationi invenitur ingratus; qui secundum exigentiam suæ vocationis, non est sollicitus digne Dei conversari, » cui addere possumus, « qui non est sollicitus Deo obedire, » neque enim dum a Deo vocamur, vocationem illam surdis auribus excipere, nec obedientiam luminibus et auxiliis, quæ Deus pro salute nostra nobis offert, debitam suspendere et differre debemus, qui si hoc lumen perdidimus, in tenebris utique eorumus sempiternas. S. Gregorius, *Hom.* xxxix in *Ev.*, ait: « Parvam

« quamque animam omnipotens Deus multis modis
« visitare consuevit, nam assidue hanc visitat præ-
« cepto, aliquando autem flagello, aliquando vero
« miraculo, ut ea vera quæ nesciebat, audiat et
« tamen adhibere superbiens, atque contemnens aut
« dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta,
« malum quod fecit, erubescat; sed quia visitationis
« suæ tempus minime recognoscit, illis in extremo
« vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno
« iudicio, damnationis perpetuæ societate colliga-
« tur. »

11. — Hugo Cardinalis ad animam, peccatis immersam et contumacem, decursum suum convertit, quæ prius modis a S. Gregorio insinuat a Deo visitata est : « Visitat enim mittendo Predicatorum res; » per hos enim illis manifeste ostendit miserabilem statum, in quo vivit; item obligationes, quibus ad restituendam famam aut facultates, ad remittendum has vel illas injurias, ad reconciliandum se cum proximo, ad rescindendum usurarios contractus, sive ad faciendam et erogandam pauperibus elemosynam Deo obstringitur, et vae illi, si huic ei a Predicatore communicato lumini non respondeat, ut decet : « Aliquando visitat flagello, quia grandinat vineas et necat armenta, et ei ipsi « respiciant, » famas enim, annonam caritas, aut aeris noxia intemperies, visitationes Dei sunt, volentis, ut post lot perperosa adversa, tandem aliquando emenderemur, disceremusque deinceps bene nostros collocare redditus et messes, non vero easdem in vitiorum nostrorum fomentum adhibere. « Visitat flagello, » id est, vel per damnosum valde naufragium, vel per debitores alicujus forcessionem, persecutionem, infirmitatem mortalem, vel per alios modos, quibus nos percussit, ut respiciamus. « Visitat miraculo, » dum illis quoque utitur ad magis excitandam in nobis fidem nostram, nosque exstimulandos ad majorem devotionem, compunctionem et gratitudinem.

Additio.

a. — *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Licet Judæi intelligerent Christum apud eos venisse et præsentem esse, tamen tantæ cœcilitatis erant, ut ad eum sibi præsentem non se reflecterent, sed in peccandi malitia persisterent, quod extremum malorum est et unica causa, ob quam scilicet Christianus, licet ex fide sciat, et infinitam illam Dei majestatem sibi esse præsentem, eandem nihilominus, in oculis ejus, tam pervicaciter aspernetur et offendat, quia ad eandem præsentiam Dei recogitandam non se reflectit et applicat; quod extrema demeritæ est execrandum. Propheta Regius, postquam a peccato suo respuit, mox in fervida illa penitentia infinitam sceleris sui gravitatem agnovit, idque ex eo vel maxime motivo, quod peccatum suum ante oculos Dei commiserit;

unde ait : *Malum coram te feci*, quasi diceret : In conspectu divinæ Majestatis tuæ, in tua tremenda presentia, te offendere non erubui. Chrysostomus differentiam quandam insinuat inter Christianos divinam legem transgredientes et paganos, qui veri Dei notitiam non habent; dicit enim : « Qui habet notitiam Dei et recedit ab eo, peccat in oculis Domini; qui vero increduli permanserint, quasi illo non vidente et negligente delinquant. Unde David vir sanctus, quia corruerat in peccatum uxoris Uriæ Bethsabee, agens postea penitentiam, dicit : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, id est, in conspectu tuo. » Sicut autem nullus in conspectu sui principis, nisi forsitan omne penitus amisisset iudicium, eum contumeliari auderet, licet hoc procul ab illo constitutus facillime faciat; ita quoque, nisi homo a propria passionis vehementia sit fasciatus, caliginosamque in intellectu suo contraxerit cœcilitatem, Deum nunquam offendere audebit, si illum consideravit sibi vere esse præsentem. Unde Chrysologus ait : « Deperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit; excusationi caret, qui facinus ipso Iudice teste committit, aut quam defensionem sperat, quem testimonium cognitoris accusat? Sic diabolus, cum esset Angelus, et in celo, et coram Deo semper clarissimus versaretur, et fulgens, dum Dei tentat aures, dum in Dei sperbit aspectu, lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolus mutatur ex Angelo. »

VERSUS 45.

Et ingressus in templum, cepit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens illis.

Et ingressus in templum.

1. — Non sine mysterio, mox ut Jerosolymam ingressus erat, abiit in templum, sed id fecit, ut Dionysius Carthusianus ait : « Primo, quia ut ipsemet dixit, in his quæ Patris sui erant, oportebat eum esse. Secundo, propter nostram edificationem, ut scilicet civitatem quæcumque ingreditur, primo intremus Ecclesiam, adoremusque Dominum. Tertio, ut abusiones, quæ erant in templo, corrigeret et zelum Dei atque justitiæ nos habere doceret contra peccata. »

Cepit ejicere vendentes in illo et ementes.

2. — « Attendendum, » inquit S. Bonaventura, « quod Dominus statim post annulationem excidii Jerusalem, intravit ad templum, purgandum, et ostendat, quod maxima causa destructionis ejus fuit peccatum Sacerdotum. » Hanc eandem ponderationem diu ante S. Bonaventuram, his verbis Venerabili Beda expressam legimus : « Qui enarravit mala ventura, et protinus templum ingressus est, ut de illo vendentes et ementes ejiceret, profecto

« innotuit, quia ruina populi maxime ex culpa Sacerdotum fuit. »

3. — Glossa aliud tangit motivum : « Dum ementes et vendentes percussit, » inquit, « ostendit, unde radix perditionis processit; » quasi dicere vellet, eo ipso, quo in loci illius sacri profanatores, flagellis et verberibus animadvertit, manifeste satis indicavit, quod flagella iræ Dei super civitates et populos, per totalem illorum desolationem et exterminium ex bellis, vel aliis infortuniis exortum, exonerentur et immittantur, ob irreverentiam et profanationem Ecclesiarum. Nimvero paulo ante imminens Jerosolymæ excidium amarum lacrymis defleverat, unde satis colligi poterat, quod illud ab ea, quantum erat ex parte sua, amotum esse cuperet; ac proinde Jerosolymam ingressus, subito ad radicem mali se recipiens, profanatores et templo expellere, eosque severe percutere cepit, ut deinceps emendarentur, divinamque justitiam amplius non irritarent; experientia etenim teste, ex eventibus, qui hæcenus acciderunt, clare satis liquet, quod bella, desolationes et flagella iræ Dei severiora et atrociora semper adversus illos extiterint, qui cultum divinum profane et irreverenter tractarunt. Salvator noster apud S. Mattheum, xxiv, 15, ait : *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit intelligat; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Nimirum ambabus vicibus, quibus hoc exterminium prædixit, specialem hujus peccati mentionem facit, utpote quod præ cunctis aliis peccatis ruinas publicas et irreparabiles civitatibus accersit et superinducit.

4. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ait : « Licet esset mansuetus in tolerando injuriam propriam secundo dum illud, *Jer.*, xi, 19 : *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, tamen in ulciscendo injuriam divinam fuit severus iudex. »

5. — Porro quinam hi in templo vendentes, in sensu mystico fuerint, venerabilis Beda his verbis declarat : « Vendentes in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur. »

6. — S. Bonaventura ait : « In hoc autem quod ementes ejecit ementes et vendentes, ostendit se maxime damnare in clericis avaritiam, et potissimum simoniam. »

Additiones.

(*Vide, t. I, p. 638, Evangelium Feriæ II post Dom. IV Quadragesimæ.*)

a. — *Et ingressus in templum cepit ejicere vendentes in illo et ementes.* Intravit Jesus templum et invenit profanatum, invenit basilicam mercatorum, mensam nummulatoriorum, bovum, taurorumque stabulum, agnorum arquetumque ovile; inde æterni Patris ejusdemque honoris defendendi zelo accensus, factu flagello, ut D. Chrysostomus innuit, quot

quot vendentes et ementes invenit, ejecit. Hanc in templo ad manum prompta flagella adsum, ut illis, in nudatores qui ad cultum Dei promovendum negotiantur, turpissime cæsi, inde exturbentur? Merito miramur unde illa ad manum flagella fuerint. Locum ex quo ea accepit Christus, ostendit Salomon, *Prov.*, v, 22 : *Iniquitates suæ captivum impiam, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Super quæ sic ait Ven. Beda : « Impii funibus peccatorum suorum constringuntur, cum incesabili augmento suæ pravitalis intereunt. Qui enim funem facit, torquendo semper, et involvendo filis fila adjuget; talis est fortitudo malorum operum. » Quod alio loco clarius sic exponit : « Funiculi quibus impios flagellando et templo expulsi, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos iudici datur. » Ecce ut Christus flagella, in ipsorum iniquis manibus invenit. Certum est Apostolos non ministrasse Christo funiculos ad flagellum hoc contextendum; alias enim S. Joannes qui hoc factum refert, eidemque tanquam spectator adstitit, idipsum scripsisset. Multo minus funiculos hosc in loco aliquo vicino pretio comparari fecit, quia sacer textus clare dicit, ipsismet contextuisse flagellum, et hoc fecisse flagellum de funiculis : *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis.* Intelligendum est ergo funiculos inventos ibi fuisse, ubi erant boves, et ex his Christum cogessse flagellum. *Omnia in figura continebunt.* Increata namque Sapientia, per hanc actionem insinuare nobis voluit, quod Deus castigare nos volens, in nobismetipsis inveniat flagella, quibus tandem nos castigat. Hujusmodi enim flagella sunt peccata nostra, effrenes appetitus nostri, indomitæque nostræ passionnes. Unde S. Thomas de Aquino ait : « Fecit flagellum de funiculis, quia de peccatis nostris sumit materiam unde nos punit. »

b. — Inter omnes delinquentes, idololatræ, hæreticos, publicanos, peccatores, quos in mundo veniens Christus invenit, hos solum flagello persequitur qui oves et animalia ad sacrificium vendebant. Quod flagellum ex isdem funibus, quibus pecora adduxerant, fabricatum, non pauci auctores volunt. Itane propriis funibus exturbantur impii? Quibus grave olim vae prædixit Evangelicus Isaias, v, 18 : *Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis.* Annon ea quæ vendebant in templo, volebat offerri Deus? Cur itaque funiculis turpissime et templo eliminantur? Pulchre Hieronymus in loco citato Isaiæ dicit : « Quod vincula dicuntur esse peccata crebris legitur mus, et quibus illud est : *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Et Dominus arguens populum delinquentem, qui peccata peccatis cumulabat, fecit flagellum de funiculis, ostendens eis quomodo domum Dei fecissent speluncam latronum. » Et merito per quæ enim

quis peccat, per hæc et punitur. Homo per delicta sua Deum offendit, et per ipsa delicta quæ in funiculis umbrauntur verberatur et flagellatur. Regius Psaltes in Psalmo xxxvi, quod vindictivis frequenter contingere solet, scilicet, quod machina, quas ipsi in aliorum damnum fabricare student, tandem in ipsomet recidunt et exonerentur, his verbis confirmat: *Gladium coaguaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut dejicerent pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.* At vero quid tandem in condignum eorum supplicium eisdem evenit? *Gladius eorum intret in corda ipsorum et arcus eorum confringatur.* Quæ verba exponens, S. Ambrosius inquit: « Ut quemadmodum revertitur pax in Dei servulos ab eis, qui non receperint benedictionem pacem, ita etiam malitia peccatorum qua justo nocere conantur, in eorum perniciem revertatur, quo suis telis et vulneribus trucidentur. Sepe enim jacula in ipsos qui ea jecerint refunduntur. »

Didacus Stella super caput nonum Lucæ ita scribit: « Sunt quedam peccata, quæ crucem suam secum bajulant; non inquam Christi, nec boni latronis, sed durissimum mundi supplicium; ea sunt ambitio, odium et invidia, quæ maxime vitia quotiens cor, somnum et quietem auferunt, ac totum hominem inanibus curis et sollicitudine obruant. Si invidus es, omnia proximi bona erunt tibi tormenta, si odium geris, quicquid boni accidit illi quem odisti, inmanium cruciatuum causa existit; si ambitiosus, quoties alios evectos cernis, nimio dolore compressus, cogitatus hunc semper incedis, tecum revolvens ejusmodi dignitate a Rege, vel Papa, vel alio principe deorari possis. »

e. — Venerabilis Beda, ex hoc magnum elicit documentum, dicens: « Si Dominus nec ea volebat venditari in templo, quæ in templo volebat offerri, quanta putas animadversione puniret, si invenisset ibi aliquos risui, vel vaniloquio vacantes? Si enim ea quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua geri non palitur, quanto magis quæ nusquam fieri licent? » Ideo nunc non contentus, ait S. Chrysostomus, *Hom. xxi in Joan.*, flagello, verbis etiam in eos invehitur, neque tantum illos eiecit, sed etiam everit mensas, dispersit argentum. Ut te erudiat, o Christiane, in sacris templis cultum Deo exhibendum esse in silentio, exemplo sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ mysticum Dei templum silentii post se reliquit exemplum.

S. Bonaventura ad imitationem hujus exempli, sic exhortatur sacras Virgines sorores suas: « O Jesu Christi Sponse, intuemini virtutum speculum Mariam, et discite ab ea silentii disciplinam. » Quante maturitatis fuerit beatissima Virgo, satis patet; si enim percuratis Evangelium, per pauca

« et cum paucis eam locutam invenimus. Cum quatuor tantum personis legimus eam habuisse sermonem, et nonnisi septem verba eam locutam fuisse. Cum Angelo duo; cum Filio suo duo; cum Elizabeth duo. Cum ministris in nuptiis unum. « In hoc confunditur nostra loquacitas, quo prout sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit utilitas silentii. » Sanctissimam Virginem invocamus hoc titulo: « Sedes sapientiæ; » et certum est quod Filius eam in terra reliquerit aliquo temporis spatio post Ascensionem suam, hunc in finem, ut instrueret Apostolos, doceretque Ecclesiam tunc primo nascentem. Nihilominus Spiritus Sanctus qui Evangelistarum direxit pennam, disposuit, ut ex sacris Evangelii nobis innotesceret, septem solum vicibus Mariam locutam esse. Septem quoque verba et non plura e cathedra crucis protulit Filius ejus. Ast quale illius septenarii numeri mysterium? Considera, ait quidam speculativus, Mariam fuisse Sponsam Spiritus Sancti, qui ipsam divino suo fecundavit conceptu: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quia igitur ipsam septem suis ditavit donis, in hujus mysterii significationem, toties et non pluries ipsa locuta fuit; et cum hoc simul nobis indicavit, quod quoties rupit silentium, semper id factum sit per motionem et impulsum particularium ejusdem Sanctissimi Spiritus, ejus illa erat sanctorum: « Templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti. »

d. — Appropinquante Paschate, divino consilio Christus seipsum mundo manifestaturus, regnum Ecclesiæ suæ, et legem Evangelicam fundaturus, per hoc opus, flagello ementes ejiciendo, principium ei dedit. Quamvis enim intenderit legem fundare amoris, nihilominus ut illa firma consistat, sanaque conservetur, illam in timore fundare necessarium putabat. « Audax enim, » ait S. Augustinus, « est homo et temerarius, cui si digitum porrexeris, totam arripit manum. Idcirco necesse est, timore ejus refrenetur audacia. » Hinc Spiritus Sanctus, *Ecl. lxxvii: Si non in timore Domini teneris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Domus firmitas principaliter pendet ex fundamento; quæ de causa, sapiens architectus erecturus altum ædificium, hoc primum satagit ut fundamentum petram colloquet solidissimum, quæ protervum immobile. Christus Deus opticum omnium sapientissimus proinde suis statuit ædificiis, suo inquam Evangelio, ut firma consistant, fundamentum quo nullus securus. Timor autem est omnis boni principium; hinc a flagello incipit. Ad bonam enim directionem et observantiam divinarum legum ante omnia necessarium est predicare Dei timorem. Regius Propheta sapientissimus erat, utpote qui in vanum non gloriabatur dicens: *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Super senes intellexi. Quodam die suos sollicitè ad auscultandum sermonem prædicationis suæ invitabat: *Venite filii, audite me.* Et quid eis prædicatorus est? Timorem Domini: *Timorem Domini docebo vos.* *Psal. xxxiii, 12.* Ad insinuandum cunctis fidelibus in sæculis subsequentibus, quanta utilitatis sit docere animas timorem Dei. « Quid tandem, » inquit S. Basilius Magnus, « pater hic filios spirituales docetur est? Timorem, inquit, docebo vos. » Salomon filius ejus, cui Dominus talem infudit sapientiam, qualem non habuit, nec habiturus est homo in præsentis vita, cunctos sermones, cunctosque libros, quotquot scribendi erant, hoc exiguo restrinxit compendio, *Ecl. lxx, 13: Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.* Pientissimus Salvator nosler misit Baptistam, ut corda hominum in peccatis inveterata sua prædicatione præpararet et ad Deum converteret: *Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus.* *Luc. iii, 9.* Ad assequendum hunc finem: *Erunt prava in directa et aspera in vias planas.* Ast qualem servavit modum? Incepit a timore Dei. *Factum est verbum Domini super Joannem: Jam securis ad radicem arborum posita est.* Multi qui annuntiant verbum Dei, in hoc errant, quod ut plurimum de sublimibus atisque mysteriis discurrant, contra illud Apostoli consilium: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes,* suamque ostentant scientiam et ingenium, animarum profectum minime respicientes; nam ait Propheta: *Audite me, timorem Domini docebo vos.* Ad hanc invitationem reflectebat se B. Laurentius Justinianus, quando dicebat: « Venite, et audite me, quia timorem Domini docebo vos; non cursus siderum, non rerum naturas, neque cælorum secreta, sed Domini timorem docebo vos. Horum scientia sine timore inflat; timor autem Domini absque scientia illorum salvat. »

e. — Valde mirum est quod Christus Dominus in templum veniens, hos vendentes verbis non monuit sicut reliquos peccatores solitus fuit, ut ab illicita actione, atque divinarum rerum contemptu abstererent, sed mox eos vehementer flagello percutit; nullum enim tempus eis concessit sua convasandi; verum mensas everit, argentum dispersit; nullatenus veritus, nec populi tumultum, nec principum Sacerdotum furorem, exemplo suo docens Prædicatores libenter omnem subire laborem et periculum, depositaque adulatione, a vitiiis reprehendendis nequaquam desistere. Porro quam patiens et perseverans Prædicator esse debeat, D. Chrysostomus sequenti similitudine demonstrat inquit, *Hom. vi in II ad Tim.*: « Si piscatores cum saepe die tota frustra jactaverint retia, non tamen desistant, neque desperant, multo magis nos id facere convenit. Et vide quam id utiliter fiat. « Saepe fit dum assidue doctrinæ fructus illabitur

« animo, vitium quo ille perturbatur excidat. » Agricola non statim post ejectionem semen in agrum, messem inde colligere præterdit, sed in multos usque menses expectat, donec fructum afferat in patientia.

Prædicator cavere debet ne sit adulator, sed ut S. Augustinus, *Serm. lxxvii de temp.*, ait: « Si cui forte displiceo, consideret is periculum meum, et audiat Deum comminantem mihi: Si non audiveris impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram. » Caveat etiam ne det prurium auribus mundanorum per verba tersa et polita, sed reprehendat vitia et scelera eorum. Victor Antiochenus, super illum S. Marci textum: *Stupebant super doctrinam ejus,* interrogat: « Cur stupescunt? Quia non respondebat ad gratiam, neque ulli prorsus adulator, nec auditorum laudes caplabat, sed erat sermo ejus in potestate. Hortabatur enim non ad quævis promiscue, sed ad celestia et animæ salutaria, perfidisque et obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabantur. »

e. — Prima Jesu, utpote Pontificis et Messie, cura erat templi. Mirum autem fuit, ut homini pauperi, qualis erat Christus, omnia Sacerdotum lucra in templum subvertentis, neminem eorum resistisse. Et quod miror magis, Christus Deus sua auctoritate ac majestate non putavit indignum, sed homines propria manu verberibus cadere. « Consideremus, » ait Origenes, in *Joan.*, « ne forte enorme videatur, quod Dei Filii, captis funiculis parat sibi flagellum ad ejiciendum de templo. » Enorme quidem alicui forsitan videri posset, et parum divinæ majestati illius conveniens, sed zelo severioris justitiæ accendi, ut sibi ex funiculis flagellum pararet, et quodammodo verberatum ad instar, in templo trapezitas diverberet. Christusne is est qui hoc ministerium, quod vile et abjectum et de ministeriali infligendi supplicii officio, invidiosum videri posset, per seipsum obit? Ubi sunt Angeli, daemones, illius obsequio expromptis deputati? Interim nullam horum operam expectat. Enorme quidem et Christo Deo indignum, hoc ei videri posset, qui nescit quam sint execrabiles illi qui Deum, ejusque præsentiam agnoscentes, temere peccant. Verum qui attentè considerat quod Victor Antiochenus, in *cap. xi Marci*, ait, neutiquam mirabitur; scilicet: « Aggravat Judæorum causam, quod Domino idem factum semel iterumque petente, ipsi nihilominus in sua illa cauponaria arte, « infamî munditione obstinate usque persistebant. » Et ideo rigide in eos ementes et vendentes, præter gravitatem suam invehitur, et facto et verbo latrones appellat; utpote quos non emendatos, sed in sua malitia persistentes, ac relapsos videret: multum enim relapsus culpæ gravissimè aggravat, et diversa mala invehit. Serio ponderanda est pœna,

quam Salvator paralytico, si quando ad peccandum rediret, his verbis prædixit: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joan., v. 14. At vero quid huic homini deterius contingere poterat, qui annorum 38 spatio omni destitutus auxilio, lecto immobiliter affixus fuerat? S. Cyprianus ait: « Sospitantis verba sunt et docentis, » verbum *sospitantis*, idem significat, quod *incolorem servantis*, « curantis pariter et monentis. » Salvator enim duplex illi preservative subministrare voluit, scilicet unum pro corpore, alterum pro anima. « Gravis vis comminatur, quod scilicet nulla sit venia ultra delinquere, postquam Dominum nosse cepisti. » S. Thomas hunc eundem S. Joannis textum declarans, pariter inquit: « Quia qui post beneficia recepta ad peccata prolabitur, gravius supplicii reus efficitur, propter ingratitude, » secundum illud, II Petr., ii, 21: *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiae quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Similiter etiam quia postquam homo ad peccatum semel redierit, « facilius peccat, secundum illud Matthæi, xii, 43: *Bunt novissima hominis illius pejora prioribus.* » Nullum dari potest desperata salutis evidenti signum, quam quando medicina infirmo in venenum transmutatur. Unde ad populum Antiochenum D. Chrysostomus, Hom. xxi ad pop., in hæc verba prædicavit: « Timor non parvus et periculum non mediocre, ne rursus ad ea redeamus et vulnus nobis fiat de medicina. Quanto namque major gratia, tanto amplius postea peccantibus poena. » S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Relapsus in ægritudine periculosior esse solet et exitio propior, quam prior ille langor; et quos prima valeudo adversa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit e vita. Haud secus frustra penitentiae medicamentum sumitur, si post eam peccata ad præteritæ vitæ sordes reditur. Hæc enim secunda ad modum periculosa est animæ febricitatio. »

f. — Maxime expendendum est, quod cum Christus esset veritas, vendicans domum suam, eiciebat ex ea vendentes et ementes. Ubi humana negotiatio est, ibi necessum est mendacium intervenire; neque enim simul cohabitare mundana negotia et veritas; et ideo cum Christus summa Veritas domum suam expurgaret, ut in veritate consisteret, veritasque in ea tractaretur, mundanas negotiationes procul eiecit. Mendacium enim, licet apud omnes, in negotiationibus maxime locum habet. Dei vero providentia fit, ut lucrum per mendacia comparatum disperdatur.

VERSUS 46.

Scriptum est: Domus mea domus orationis est, eos autem fecistis illam speluncam latronum.

1. — S. Bonaventura, in Luc., verba illa ad Sacerdotes directa fuisse asserit, non vero ad negotiatores, qui animalia sua eo conducebant. « Hoc » dicitur ipsis Sacerdotibus; » mox vero quomodo domus Dei in speluncam latronum convertitur, his verbis declarat: « Tunc autem domus Dei fit spelunca latronum, quando contra voluntatem Christi » contrectatur patrocinium Christi crucifixi, hoc est » enim furari et latrocinari, quando publice fit. »

2. — Idem quoque Seraphicus Doctor verba illa: *Vos autem, egregie ponderat, dum ait: « Ideo specialiter dixit, eos, quorum erat eam purgare, et in sanctitate custodire. » Olim Deus per os Davidis, Psal. lvi, lamentabatur, dicens: Si inimicus meus maledicisset mihi, sustinuissem utique; et si qui oderit me, super me magna locutus fuisset, abscondisset me forsitan ab eo; tu vero homo unanimes, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebis cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu; tandem vero severissimum ipsis supplicium comminatur, dicens: Veniat mors super illos, descendant in infernum viventes; quasi diceret: Si Hebræi, idololatrarum, aut Mahometani loca sacra profanarent, tolerabilis longe esset quam quod Christiani id faciant, qui innumeri a Deo beneficia in ejus domo recipiunt, imo vero reverentia, quam infideles illis idolis suis et demoni in Moschæis suis, summa cum devotione exhibent, condemnabit, quam maxime fideles, qui Ecclesiis majorem non deferunt respectum, quam si publica essent prostibula. »*

3. — Glossa in sensu spirituali ait: « Domus Dei est conscientia fidelium, quam facit speluncam latronum, qui relicta simplicitate sanctitatis illud » meditantur agere, unde proximum possit lædere » innocentem. »

Additio.

a. — *Domus mea domus orationis vocabitur, etc.* Templum Dei ad orationem et servitium sunt consecrata et ideo in his Deus supplicationes nostras facilius exaudit; quod si vero in illa orantes interdum a Deo non exaudiamur, id fit vel quia impertinentia petimus, vel quia domum Dei latronum facimus speluncam. In Concilio quodam sequentia verba leguntur: « Filiationem vestram, charissimum » commonemus, ut convenientes ad sacramentum » Dei templum, id diligenter pertractare studeatis, » ad quod venistis. Si enim veraciter creditis templum Dei esse illud ad quod convenitis, id procul » dubio, inibi operari debetis, quod ei placeat, » cujus templum est, ad quod convenitis. Cum » enim ubique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri et quantum ipse inspirare

» dignatus fuerit, inibi quod ei placet, debet ex » peti. » Examinemus igitur diligenter, an supplicationes nostræ quas ei in sua domo presentamus, divino ejus beneplacito conformes sint, et bene regulatæ aut vero an sanctæ ejus legi potius repugnent; si enim hoc postremum verum esse deprehendatur, lamentari profecto non possumus, si non exaudiamur: « Veri adoratores, » inquit Hugo Cardinalis, « adorant eum in Spiritu, id est, spiritaliter, contra illos qui adorant Deum carnaliter » petentes et carnaliter de Deo sentientes, ut filii » Zehedæ; vel in spiritu, id est, pro spiritualibus » donis, id est, virtutibus. » Sequentia quoque verba: *Et in veritate*, exponit dicens: « Id est, pro » veris et æternis bonis. » Quomodo vero modo veri adoratores, qui adorant in spiritu et veritate, dici poterant, qui tanta cum irreverentia sanctam ejus domum profanant, domumque orationis in speluncam latronum convertunt? Quisquis igitur in Ecclesiam ire contendit, ut Deum inibi offendat et nihilominus Deo supplicium in oratione fieri præsumit, oratio ejus fiet in peccatum. Psal. cxviii, 7. Sicut enim is qui eodem tempore, Henrico III memoriale præsentabat, cultum quoque in eum stringens, ipsum contrectavit, parricida erat, ita quoque si is qui ad Ecclesiam orandi causa accedit eodem tempore per irreverentiam, dissolutionem et scandala sua, domum orationis profanat, Deum atque mortaliter offendit.

VERSUS 47.

Et erat docens quotidie in templo.

1. — S. Gregorius optime hoc loco considerat quod, tametsi populi illius ingratitude probe cognosceret, maximeque Sacerdotibus in templo afficeretur injuriis et contumeliis, hoc tamen non obstante a Dei verbo illis ministrando desistere non huerit; Redemptor vero noster prædicationis verba nec indignis, nec ingratis subtrahit, unde postquam rigorem ejiciendo perversos tenuit, donum his gratiam ostendit, nam subditur: *Et erat docens, etc.*

2. — Jam paulo ante ex auctoritate Glosse ostendimus quod Sapientia incarnata Christus Magister noster, post predictam Jerosolymæ devastationem, in templum se profectus contulerit, ut illius profanatores castigaret: « Ostendit, unde radix » perditionis processerit, » quia ruina illa a templi profanatione procedebat, idem vero nunc dici posse videtur de prædicatione ipsius, quæ hanc prædicationem profectus subsecuta fuit, quod nimirum causa exterminii ipsorum fuerit, quia divino ejus verbo aures præbere faciles et patulas detrectabant, atque ideo subito illis indefesse prædicare cepit. Jeremias, capite viii, valcinabatur, quod ossa Sacerdotum, Regum, Prophetarum, omniumque aliorum e sepulchris suis eruenda, et vel in

aerem cineres, aut vero in sterquilinum ossa et carnes eorum projiciendæ essent, mulieres quoque eorum dandæ essent alienigenis, quodque civitas illa severissimis a Deo castiganda esset supplicis; sed quam putas ob causam illud futurum erat? *Verbum enim Domini propeverant.* Ecce tibi unicum tot miseriarum immittendarum motivum. Idem quoque Propheta, xxvi, 6, ex ore Dei loquens ait: *Si non audieritis me, ut audiat sermone sercorum meorum, quos ego misi ad vos, et non audistis, dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis regibus.* Unde clare et evidenter deducitur quod salus, stabilitum et felicitas populorum, ex auditu pariter et reali executione auscultati Verbi Dei unice dependeat; ac proinde Salvator noster exterminium hoc ab Jerosolyma removere cupidus ad altimum usque dimi ab hoc ministerio Evangelico desistebat, dummodo ipsi prædicationi ipsius aures præbissent et ad eum conversi fuissent. Eodem sæculo, quo B. Laurentius Justinianus Venetiis vivebat, Respublica Veneta in magnis erat angustiis ob bella et controversias, quas cum Mediolanensibus habebat; accidit autem quod dum nobilis quidam in Corfu profectus sanctum quemdam ibi degentem Eremitam correnisset, ab eo quicquid tandem hujus calamitatis publica finis futurus esset, interrogavit; cui ille se quamdam a Deo revelationem habuisse respondit, hanc nimirum, quod Deus urbi Venetiarum graviter offensus esset, eo quod incolæ illius divinum ejus verbum spernerent, et valde invitæ aures auscultarent, ideoque ipsam in cinerem protinus redigendam fuisse, nisi se, per suam pro hac urbe ad Deum effusam orationem, B. Laurentius Justinianus interposuisset: *Si populus meus audisset me, pro nihilo forsam trivideos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.*

Quotidie in templo.

3. — Id est, ut Dionysius Carthusianus ait, de illo et duobus aliis diebus sequentibus, quia in feria quarta in Bethaniam abiit, unde Judas ab eo sanguinem ipsius Judæi venditurus recessit: « Ita » que Christus passione instante a prædicationibus » et sanctis increpationibus non cessavit, quod » eorum, ne timore mortis, aut ejuscumque in » commodi cessemus a spiritualibus actibus debitis; » per quod etiam quorundam increpatur pigritia, » qui dum senescent, exponunt se otio et corporali » quieti, dum adhuc gregi sibi commisso, ac aliis » multis possint prodesse; imo tunc cum majori » reverentia audirentur; advertant hi, quod ait » Salvator: *Qui perseveraverit usque in finem, hic » salvus erit.* »

4. — Possumus quoque dicere quod verbum Dei quotidianum sit animæ nostræ panis, teste S. Augustino, *Serm. iii in Ps. xxx*, qui ait: « Panis noster

« est verbum Dei, quod quando audis, aut quando legis, manducas: quando jam recogitas, rumi- « nas. » S. Ambrosius considerans quod populus Hebræus a mane usque ad vesperam Moysi assistens, eum attentis auribus auscultavit: « Assistebat « Moysi a mane usque ad vesperam, » ad nos Christianos conversus, nostram reprehendit pigritiam, dicens: « Moyses magistro usus est populus « Judeorum quotidie in sermonibus suis, a mane « usque ad vesperam, tu Christiane dormis, cui « magister est Christus? » In eodem Exodi libro, xx, 30, habemus, Moysi præceptum fuisse: *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*; cum igitur verissimum sit illud S. Pauli axioma: *Omnia in figura contingebant illis*, hoc utique præceptum figura quædam fuit illius, quod in Ecclesia sua fieri postulabat, nimirum ut Sacerdotes quotidie et continuo preparati essent, ad frangendum fidelibus quotidianum divini verbi panem. Unde Venerabilis Beda in hujus textus

expositione, de illis scribit: « Cunctis Ecclesiam « intrantibus, refectionem verbi celestis offerunt, « qui recte propositionis panes vocantur, quia in « propatulo semper esse debet universis sermo « salutis, nec unquam in Ecclesia deesse oportet « piis auditoribus verbum solati. » Baronius in tomo primo Annalium Ecclesiasticorum, de illis congregationibus loquens, quas primitivi fideles, secundum formam ab Apostolo in Epistola ad Corinthios præscriptam instituebant, declarat quod opera S. Philippi Nerii et instituti ab ipso fundati, optimus ille et salutaris usus Romæ introductus fuerit, quo verbum divinum quotidie cum insigni fructu et utilitate animarum annuntiatur, dum ad mediæ horæ spatium lectio quædam spiritualis præmittitur, et post hanc quatuor discursus instituuntur, quorum quilibet etiam ad mediæ horam pariter extenditur, idque cum maximo et continuo auditorum profectu.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. XVIII, VERS. 9

9. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, et alter Publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium, quæ possideo.

13. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur.

VERSUS 9.

Dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

Dixit ad quosdam.

1. — Albertus Magnus modum considerat, quo horum, ad quos parabola ista dirigebatur a Christo mentio facta fuerit: « Ad quosdam nomine indignos, propter malum meritum ipsorum. *Psal. xv, « 4: Nec memor ero nominum eorum per labia mea. »*

2. — Salmeron Christum illos prudenter et ex singulari charitate non nominasse dicit: « Prudentie fuit, neminem in singulari notare, fugienda « est enim fratris infamia. » Nullus ex malignis perversisque Pharisæis in Evangelio speciatim no-

minatus fuisse reperitur, bene autem nomen proprium exprimebatur, quando de aliquo ex melioribus mentio incidebat, ut videre est in Nicodemo, Simone leproso, et aliis similibus.

Qui in se confidebant tanquam justi.

3. — Arias legit: « Ad quosdam persuasus in « seipsis, quod essent justi. » S. Bonaventura ait: « Tunc confidit in se quis tanquam justus, quando « se justum reputat ex suis operibus. »

4. — Salmeron notat quod hæc confidentia, quam de nobismetipsis concepimus, nos ut plurimum fallat et decipiat: « Experientia teste, » inquit, « a nullo magis homo, neque frequentius, « neque forte periculosius decipitur, quam a « seipso; » atque hinc est quod, ut idem Auctor

notat, S. Chrysostomus librum illum scripserit, cujus titulus sive inscriptio est: *Nemo laeditur nisi a seipso.*

5. — Theophylactus ad hoc se reflectit, quod quia superbia inter cunctas alias passiones majorem in humana corda tyrannidem exercet, ideo Salvator noster haud immerito eandem præ cæteris ab iisdem cordibus profligare contendat: « Est « autem superbia Dei contemptus; quoties enim « aliquis non Deo sed sibi describit bona quæ facit, « quid est aliud quam Dei negatio? » Contra illos igitur, qui in seipsis confidunt, opera sua non Deo, sed sibi ipsis attribuendo, et insuper proximos suos contemnendo, hanc parabolam proponit, « ostendens, quod quamvis justitia approximet Deo, si « tamen assumat superbiam, ad infimum dejicit « hominem. »

6. — Considerabilis est hoc loco dictio illa, *tanquam*, quia ut Hugo Cardinalis observat: « Non « erant vere justi cum nullam haberent justitiam, « quia non habebant humilitatem, sine qua nihil « placet Deo. »

7. — Eternæ et primæ Veritatis propositio est, quod *nesciat homo, utrum amore an odio dignus sit, nisi desuper revelationem habuerit.* Imo S. Paulus a Deo, qui mentiri nequit, habebat indubitatam prædestinationis suæ promissionem, *Act. Ap., ix, 15: Vas electionis est mihi iste*; idemque jam ad tertium usque cælum raptus fuerat, ubi, secundum quod scholæ asserunt, oculos suos in divinam essentiam ei deligere licuit, per modum transeuntis, et tamen præ timore nimio lotus contremisebat; unde dicit: *Castigo corpus meum et in servitute redigo, ne reprobus efficiar.* Non quidem sua ipsum mordebat conscientia: *Nihil mihi consetus sum*; et tamen hoc non obstante, prolium subungebat: *Sed non in hoc justificatus sum.* Quamnam putas, ex mente S. Gregorii, esse differentiam inter eos, qui sub signis militibus militant, et alios qui sub vexillo crucis apud Deum sua merentur stipendia? Hæc nimirum, quia milites nullo timore anguntur, at vero Christianis semper de suis viribus diffidendum est: *In timore Domini*, inquit Sapiens, *fiducia fortitudinis*, Petrus qui Christum non hominis tantum, sed etiam Dei Filium esse confessurus fuerat; eundem postea sæpius turpiter et proterve negavit, protestandoque dixit: *Non novi hominem*; cujus quidem præcipitii causa fuit, quia sibi ipsi nimium confidebat, adeo ut in sui comparatione suos aspernaretur alios coepistolos. Unde S. Ambrosius ait: « Lapsus est, quia dixit: *Etsi omnes scandalizati « fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Quis « alius jure de se presumat? » Theophylactus quoque ait: « Ideo permisit illum Christus, cadere, « ut doceat, ne quis in seipso confidat, sed in « Deo. » Et qua ter se suum securum esse Magistrum temere jactavit, seque quovis alio eidem

fideliorum futuram esse stulte promisit, Deus juste ipsum non semel tantum, sed trina voce negare permisit, in poenam trium errorum quos commisit, tum nimium sibi ipsi confidendo et promittendo, tum aliis se præferendo, illosque contemnendo, tum Christo fidem adhibere renuendo.

8. — Mundi hujus innavigans mari Scyllam inter et Charybdin pertransire debet, si portam attingere desiderat; per medias diffidentie et confidentie angustias transiliat, necessum est, si enim in alterutram, quæcumque demum, partem declinaverit, naufragium patitur. Unde Tertullianus, *lib. de cultu feminae*, inquit: « Qui presumit, minus veretur, « minus præcavet, plus pericillatur, timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum « timoris; ut illic ergo, si speremus nos posse de- « linquere; sperando enim timemus, timendo « cavebimus, cavendo salvi erimus. » Considerandum est, sed non inutiliter; diffidendum est, ad iterum certos inter limites; dum plus nimio diffidit Cain, in desperationem incidit, dicens, *Gen., iv, 13: Major est iniquitas mea, quam ut veniam promerear.* Talem Pharisæus ille de se, deque suis meritis præsumptionem habebat, ut crederet cælum se capite contingere, dum pedibus esset in inferno.

Et aspernabantur cæteros.

9. — Arias legit: *Nihil facientes cæteros.* Dionysius Carthusianus ex hoc Pharisæorum, quo reliquos omnes aspernabantur contemptu, falsas minusque solidas eorum deducit fuisse virtutes, inquit: « Denique ipsa eorum aspernatio ostendit « quod vere justi non erant. » Pro cujus confirmatione S. Gregorii adducit auctoritatem, dicentis: « Vera justitia compassionem habet, falsa dedit « nationem; quantumvis et justi soleant recte « peccatoribus dignari; sed aliud est quod agitur « typo superbie, aliud quod zelo disciplinæ. »

10. — Minatur Spiritus Sanctus, per os Isaie Prophete, condignam contemptoribus hisce poenam, nimirum: *Væ qui spernis, novæ et ipse sperneris? cum fatigatus desideris contemnere, contemneris.* Quorum mores fusius porro idem prosequitur Carthusianus, discursu sequenti: « Nec in vero spirituales « vitæ fundamentum se figunt, sed religiosiores cupiunt apparere, et cum carnales sint, spirituales « se arbitrantur. » De quibus proinde loqui voluisse existimat sanctum Apostolum Judam, in illo Epistolæ suæ textu: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

11. — Quemadmodum nulla est infirmitas corporalis, quæ ita affligit unum, quin non etiam quemcumque possit invadere alium, utpote qui omnes ex una eademque fragili et corruptibili compingitur massa, ita pariter nulla datur animæ alicujus macula talis, quam non possit quemcumque contrahere alia, et de facto contractura